

33 sache, →

Ne

Sammelwerk

ds

P. M. 32

THESES THEOLOGICÆ,

De Questione:

An

ECCLESIAE
REGIMEN SIT MO.
NARCHICUM:

Quas

*Auspice trismegisto Ecclesiae Monarcha
Christo;*

PRÆSIDE verò

DN. VVILHELMO LYSERO,
S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ.

in celeberrima VVittebergensi Academia.

Pridie Calend. Maji examinandas
proponit

M. JOHANNES ADAMUS STEINHEUSER
Curiâ Variscus.

WITTEBERGÆ,

Charactere Hæredum Gormanni, 1628.

16.



VIRIS

*Eximiis & Reverendâ dignitate
Clarissimis:*

Dn. M. JOHANNI MEELFUHRERO,
Abbati Heilsbronnensi Amplifs. Theologo
meritissimo.


Dn. M. THEODORO GRAMMANNO,
Pastori in Sasendorff.

Dn. M. JOHANNI SAMBSTAGIO,
Pastori in Wonsesß.

Dn. M. CHILIANO FABRO, Pastori
Münchbergensi.

Dn. M. JOHANNI ZEZNERO, Congre-
ctori Heilsbronnensi, Philologo Præstan-
tissimo.

*Dnn. Præceptoribus, Mæcenatibus ac
Fautoribus suis consecrat R.*



I. N. I. N. C.



Inter cæteras appellationes, quibus in his terris militans Ecclesia N. T. præ synagoga V. claret, illustris illa & insignis est, quæ *Regnum cælorum* ab ipso Christo Matth. 4.17, c.18, & imprimis c.13. ut & alibi sæpius, salutatam legimus.

1. Hic titulus & nomen hoc honorificum uti Ecclesiam Regnum dicit: ita vicissim ^{1.} ortum ejus & principium non à carnalis sapientiæ consilio, nec à mundanæ potestatis molimine, sed à cœlesti virtute, ducit. ^{2.} Caput & Regem ipsi non terrenum, sed cœlestem, & dominum, qui est de cœlo, assignat. ^{3.} Subditos, quales esse deceat, & qualium satagere rerum debeant, monet, non terrenarum scil. sed quæ supra sunt in cœlo, ubi nostrum est *πολιτεία*. ^{4.} Modum quoq; gubernationis non politicum aut humanum, qui consistat in vi coactionis externæ, gladioq; seculari, sed cœlestem eum esse innuit, qui absolvitur rectione cordium per verbum, quod est gladius spiritualis; ut & aliis spiritualibus donis, fide, spe, charitate, perseverantiâ &c. quibus gubernantur & reguntur fideles subditi Christi.

^{3.} Cæterum modus hic gubernationis est duplex, internus & externus. Internus est, quo Christus *ἀρχηγός* ille *ἡ τῆς λειωπίας πίστεως* in cordibus fidelium per fidem habitans, virtute Spiritus Sancti, quem effundit, bonum quod operari incepit, perficit, & nostram regenerationem, sanctificationem, renovationem, & in bono perseverantiam, continuat.

^{4.} Externus est, quo per prædicationem verbi & Sacramentorum Ecclesiam visibilem in hoc mundo colligit & gubernat.

^{5.} Hunc externum regendæ Ecclesiæ modum Pontificia impietas & impudentia horrendum corrumpit atque depravat, in hoc, quòd non contenta uno Rege invisibili Christo, visibilem sibi & aspectabilem, Romanum Pontificem, eligit, eumq; de necessitate

*Modus gubernationis
Ecclesie duplex
Internus*

Externus



tate salutis credendum proponit, quem armat summâ potestate & absolutâ jurisdictione, ut & infallibilitate simplici, ita ut ab ore ipsius pendendum sit in omnibus, quæ dogmata fidei attinent, juxta illud: αὐτὸς ἐστὶν Θεὸς: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

6. Hinc maximè controvertitur inter nostros Doctores & spurii ementitiq; capituli hujus satellites Quæstio: An Regimen Ecclesiæ sit Monarchicum? Quam quæstionem hac vice breviter & succin- & è considerandam suscipimus.

7. Opinor autem statim intelligi, quia Quæstio ex modo gubernandi Ecclesiam *externo* progreditur, eam non esse de interno: Siquidem ab utraq; parte, quo ad saniores, in confesso positum est, solum Christum ita esse summum Regem & absolutum Monarcham Ecclesiæ, etiam post ascensionem suam in cælos. Clara enim scripturæ litera hoc testatur, JESUM scilicet dominum, etiam postquam ex hoc mundo migravit in regionem illâ longinquam, in cœlestem patriam, esse Regem, Principem Pastorum & caput Ecclesiæ suæ unicum, Luc. 1. 33, 1. Pet. 5. 4, Eph. 1. 22, 1. Col. 1. 18, c. 2. 19.

8. Sed hoc in quæstione versatur: An scilicet Salvator visibiliter in cœlum sublatus, & ad dextram DEI Patris collocatus, visibilem gubernationem, retentâ invisibili, suspendit, & hanc obeundam alteri & soli mortali in terris concesserit, qui sit universale & œcumenicum totius Ecclesiæ caput, & jure divino superior omnibus Episcopis, omnibusq; membris Ecclesiæ? breviter: An Ecclesiæ militantis regimen ministeriale sit penes unum? Ubi nos negativam tenemus; Pontificii autem pugnantem pro suo Pontifice, affirmativam. Quâ in parte operæ precium est ipsasmet Gnathonum Romanæ Curia impudenter confessiones aliquot legere, & statum controversiæ clarius cognoscere.

9. Ipse Papa Joh. XXII. in Extravagante de majoritate, capitulo unam sanctam, definit & pronunciat; omnino esse de necessitate salutis, omnem humanam creaturam subesse Papæ Romano.

10. Bellarm. l. 1. de R. P. c. 5. Ecclesiæ regimen, ait, esse præcipuè penes unum summum totius Ecclesiæ Præsidentem ac Sacerdotem.

11. In præfat. in libros de S. P. innuit esse ducem ac rectorem, qui solus potest ac debet fratres omnes in fide confirmare, & Ecclesiam universam in unitate retinere.

12. Ibidem

12. Ibidem contendit, post Christum fundamentum esse Petrum, & nisi per Petrum, non perveniri ad Christum.

13. Becanus in manual. p. 172. scribit: singulos fideles, qui sunt quasi membra Ecclesiae, habent quidem assistentiam & directionem Spiritus S. sed dependenter à Pontifice, qui est veluti caput Ecclesiae &c. Quandiu ergo singuli manent colligati cum doctrina Pontificis & conciliorum, participant de assistentia & gubernatione Spir. S. nec in fide errare possunt.

14. Iterum Bellarm. l. 1. de S. P. c. 1. §. 1. nemini, inquit, dubium esse potest, quin & potuerit & voluerit Salvator noster JESVS CHRISTVS Ecclesiam suam eâ ratione & modo gubernare, qui sit omnium optimus. Quis autem sit, post longam & ambiguum disceptationem c. 9. §. 1. concludit, scribens: Si Monarchia est optimum ac praestantissimum regimen, & certum est, Ecclesiam DEI à sapientissimo Principe Christo institutam optimè gubernari: quis inficiari potest, ejus regimen esse Monarchicum?

15. Nos contra hanc doctrinam pugnaturi nostramq; propugnaturi, sequentibus fundamentis utemur. 1. quia Christus ipse Rex & Monarcha est Ecclesiae. 2. quia Monarchia talis repugnat Apostolico muneri. 3. Apostolorum aequalitati. 4. in scripturis non est fundata, sed Christi prohibentis auctoritati. 5. Apostolorum, 6. antiquae Ecclesiae praxi. 7. evidentibus & contrarium manifestè suadentibus rationibus, adversa.

16. Principiò igitur negamus dari Ecclesiae caput aut Monarchiam mortalem, quia Christus dominus ac Salvator noster unicus ipse à Deo Patre suo est unctus Rex Sion Ps 2. 6. est ille Rex unius omnibus imperans Ezech. 37. 22, ille pastor unus omnium v. 24. item Joh. 10. 11.

1. Fundamentum, à Regis unitate.

17. Hic est lapis ille, quem JEHOVA posuit (לִבְנוֹת fundavit, ut sit petra & fundamentum firmissimum) in Sion, lapis probatus, angularis, pretiosus, לִבְנוֹת לִבְנוֹת , qui crediderit, non fugiet, Esa. 28. 16, Matth. 21. 42, Rom. 9. 33, 1. Pet. 2. 6.

18. Hic est unus Magister noster Matth. 23. 10, Sponsus Joh. 3. 29, ipse est caput corporis Ecclesiae, ut sit in OMNIBUS primas tenens Col. 1. 18, Eph 4. 15.

19. Quae omnia sicuti regimen Christi internum commendare

A 3

atq;

atque probare non negamus, ita de regimine externo non agere, hoc est, quod pernegamus.

20. Christi enim Regis, Capitis, Magistri, Sponsi ac Pastoris est, non solum à peccato credentes mundare, à mortis Diaboliq; imperio liberare, & Spiritum Sanctum mittere in corda credentium; sed & publicum atq; externum conservare verbi ministerium Sacramentorumq; usum, Ecclesiam à mundi furore custodire, in tyrannorum persecutionibus protegere, in unitate professionis fidei fovere, bona quoq; temporalia, quantum cuiq; expedire videbitur, adjicere.

21. Hæc omnia sunt externa, & spectant ad externum regimen Ecclesiæ, quæ tantum abest, ut ullus homo præstare possit, ut omnium potius ipse maximè indigeat, & cuncta suo Capiti ac servatori grato animo in acceptis ferat. Hic est dominus messis, qui extrudit operarios in messem suam Matth. 9.38, qui dat Doctores Ecclesiæ, & donorum varietate exornat & instruit Eph. 4, 1. Cor. 12, verbum, quod prædicatur, Dei est & Christi ejus; Sacramenta Christi sunt; Spiritus per verbum in omnem veritatem nos ducens Christi est; beneficia corporalia à Christo sunt; quid multis opus est? Christi omnia sunt, nos illius membra sumus, ille caput nostrum, in omnibus nos regens & gubernans.

22. Quare Paulus Romanos ad charitatem adhortaturus, ut in externa conversatione & fidei professione essent unanimes, nec donorum excellentiâ inflati ἐξοχλῶ ac prærogativam quandam affectarent præ aliis, c. 12.5. ita scribit: Multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alii aliorum membra.

23. Ubi duo notamus. I. quòd Apostolus CHRISTUM faciat Caput, alios autem fideles omnes membra, non excludens inde neq; se, neq; alios quosvis Apostolos. Nec simpliciter vocat fratres membra Christi, sed in Christo alios aliorum membra: ad excludendum scilicet omnem χέρον & relationem alicujus veri capitis, quam membra inter se habere possint, & ad ponendum nullam aliam, nisi quæ est membri ad membrum.

^{1.}
Chr̄s caput: nos
membra

II. 24. II. Antecedentia & consequentia textus sunt consideranda, ex quorum collatione attento lectori ad oculum patebit, sermonem hoc loco esse de membris, non quatenus internum Christi influxum,

influxum, quem vocant, sentiunt, sed quatenus membra jam or-
nata atque ditata donis gratiæ variis eadem debent dispensare in
visibili Ecclesia, & erogare in ædificationem mutuam; ita qui-
dem, ut qui pollet e. g. dono prophetandi præ alio v. 6, non extol-
lat se super alium, sed sit modestus & sobrius v. 3, cogitans, mem-
bra omnia non habere eundem actum v. 4: adeò ut evidens sit,
textum hunc de externa Ecclesiæ gubernatione agere, in cuius
consideratione Apostolus solum Christum ponit Caput, Christia-
nos autem omnes, nullo Apostolorum excluso, facit membra.

25. Quam ad rem accersimus quoq; alterum ejusdem Apосто-
li locum, qui est 1. Cor. 12. 12: *Quemadmodum corpus unum est, & mem-
bra habet multa, omnia verò membra corporis unius multa cum sint, unum
sunt corpus: Sic & Christus.* Ubi iterum est observandum, Apосто-
lum in toto illo cap. non solum de communibus Doctoribus pri-
mitivæ Ecclesiæ agere, sed etiam de Apostolis; quos omnes sub
nomine membrorum comprehendit, nullumque ex horum censu
caput statuit.

26. Deinde corporis illius mystici membra spectanda ibi pro-
ponuntur, non solum ut à Christo internè reguntur, & varietate
χαρισμάτων à Spiritu Sancto instruuntur, verum etiam ut donis
illis jam instructa sibi invicem servire, ac mutua charitatis officia
præstare tenentur.

27. Planam ac immotam efficiunt assertionem hanc sequen-
tia in illo cap. in quibus allegoriam suam pertexit Paulus; in pri-
mis v. 21, cujus hæc sunt verba: *Non potest oculus dicere manui,
non est mihi opus te; aut rursus caput pedibus, non est mihi opus
vobis.* Quis enim non intelligit hinc membrorum relationem esse
non ad CHRISTUM caput, sed ad se invicem, ut & unum alteri ser-
vitio atq; officio esse poterit.

28. Neq; est, ut hinc aliquis exclamare velit & dicere: audin
Apostolum ipsum etiam inter membra corporis constituere ca-
put, & tale quidem, quod pedum famulatio ac ministerio indignum
esse perhibetur. Hoc cum Christus non sit, extra ipsum aliud sta-
tuendum erit.

29. R. Unum Regem, unumque Caput Ecclesiæ à DEO
datum esse modo audivimus. 2. Caput itaq; h. l. non formaliter
sumi-

caput non forma,
liter sumitur à
Paulo hoc loco sed
maatr.

2. Ab A-
postolici
muneris
πρωτεία.

3. Ab Apo-
stolorum
equali-
tate.

sumi sciendum est, ut suo in omnia membra influxu iisdem vim ac vigorem impertit, sed materialiter, ut aliud corporis membrum; quo in sensu expirat vera ratio capitis, nec reliquis membris contradistinguitur, sed est membrum æquè ac aliud.

30. Dispatescet ex hæcenus dictis, opinor, Christum solum Ecclesie suæ caput esse, etiam in modo gubernationis externo. Ubi tamen ministrorum operam ipsi non denegamus, sed horum ministerium cum ipsius magisterio conjungimus. Quare porro nobis probare incumbit, nullum in ministerio dari, qui caput ministrorum sit, reliquorumvè omnium fidelium.

31. Pergimus igitur hoc demonstrare ex Apostolici muneris πρωτεία & primitate. Apostolatus à summo Ecclesie præfecto inter omnia Ecclesiastica ministeria primum constitutum est, teste Paulo 1. Cor. 12. 28, ubi postquã multum in antecedentib. de diversitate donorum in ministris Christi disputaverat, tandẽ ita concludit: Alios quidem posuit Deus in Ecclesia, πρωτῶν ἀποστόλων &c.

32. Ait primum positos fuisse Apostolos, nimirum non ratione temporis tantum, sed & ratione ordinis, postquam qui positi fuerunt Prophetæ, Doctores & Pastores &c. Apostolis subordinati fuerunt, Apostolis Ecclesiastici chori ducibus ac coryphæis existentibus, lapidibusq; fundamentalibus, quibus tota cœlestis Jerosolyma structurâ spirituali superædificatur ac fundatur.

33. Quod si igitur Apostolatus fuit ministerium primũ ac summum, quod tandem ministerium magis erit primum ac summum? Quod scilicet primo prius est, & summo superius, h. e. nullum.

34. Deinde eadem Apostolica dignitas omnibus pariter ac singulis in collegio Apostolico collata fuit, nullo excluso, nemine alteri prælato. Sicut enim ante passionem & mortem crucis contumeliosissimã omnibus Apostolis Mediator clavium regni cœlestis potestatem promisit Matth. 18: ita post triumphum Resurrectionis eandem iisdem omnib. & singulis obtulit & solenniter commisit.

35. Sic enim Matth. 28. 29. inquit ad Apostolos: Euntes docete omnes gentes &c. Et Joh. 20. Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Quibus verbis Christus non modò nullum præfert alteri, sed omnes inrer se pariter exæquat, omnes mittit, unum sicut alterum. Facit omnes legatos, omnes successores suos, quia mittit, sicut ipse à Patre est missus.

36. Præte-

36. Præterea quamvis Apostolatus summa in Ecclesia fuerit dignitas, & communis omnibus Apostolis; ministerium tamen & non dominatus fuit. Christus namq; Rex noster post Resurrectionem cum suis delectis testibus locutus de regno DEI Act. 1.3, & dans mandata v. 2. nihil injunxit ipsis aliud, quam ut in orbem universum digressi prædicarent Evangelium omni creaturæ, & Sacramenta instituta administrarent.

37. Officium igitur Apostolatus (qui missionē à domini mittentis autoritate dependentem significat) in duobus constituit: 1. in testificatione de vita, doctrina ac Resurrectione JESU Nazareni Messia crucifixi, cujus rei gratiā erant ab initio adsciti Joh. 15.27, quam & ipsi non postremam, sed præcipuam sui muneris Apostolici gloriam putant, ceu videre est ex Act. 3.15, c. 5.31, c. 4 & 10, c. 13.31, 1. Pet. 5.1, 1. Joh. 1. v. 1. & 3, 2. in Sacramentorum institutorum administratione Matth. 28, 1. Cor. 11.23.

38. Proinde idem Apostolatus non dominatus vocatur, sed ministerium Act. 1.25, 1. Tim. 1.12, 2. Cor. 5.18, opus ministerii Eph. 4.11, opus Act. 13.2, & Apostoli non domini, sed ministri & ὀικονομοὶ mysteriorum DEI 2. Cor. 5.1, legati, qui pro Christo legatione funguntur 2. Cor. 5.20. Et ministerium ipsis ita fuit commissum, ut Christus ipse fuit missus scil. non ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret Matth. 20.28, Marc. 10.45.

39. Neq; unquam Scripturam de tali primatu unius quicquam, ne obscure quidem, innuere videmus, sed contra planè reticere & silentio damnare, etiam iis in locis, ubi commodè hujus rei mentio fieri & potuisset & omninò debuisset. Quod enim locos Matth. 16. & Johan. 20. objiciunt, in illis quidem se multum movent Monarchici, sed parum promovent, miseri, qui præterea nihil habent solidi, quod afferri posse videatur.

4. à Scri-
pturarum
autoritate,
Etc.

40. Quòd autem planè prætermittat Scriptura, etiam ubi expressè nominare debebat, probant dicta 1. Cor. 12, Eph 4, in quibus Paulus varia Christi dona in Ecclesiam & ejus ministros collata esse meminit; ministrorū quoq; genera à summo ad imum ordine enumerat, sed de summo Pontifice ne verbum quidem habet.

41. Quid, quòd Christus summus Rector ac ἡγεμὼν Ecclesiæ nullum ἡγεμῶν aut ἡγεμῶν in numero discipulorum agnoscere unquam

B

unquam



unquam voluerit? Ipsos quidem non raro fastus, humanam & externam in alios pariter & in seipfos υπερβολῶ & dominatum affectans, tentavit atq; rotavit, sed dominus illum nunquā in cordibus radices agere permisit, quin vehementer & Zelo ardenti in hanc arrogantem dominandi libidinem invehens, reprehendendo partim, partim etiam prohibendo, retudit ac repressit; ceu videre est ex Luc. 9, Marc. 9, Matth. 18, c. 20. Marc. 10, Luc. 22.

42. Namq; discipuli videntes unum præ altero ad hæc & alia negotia obeunda magis adhiberi; hunc plus familiaritatis, quam illum, apud Magistrum, habere, in perversas illic cogitationes, secuti carnis ratiocinium, rapiebantur, unum ex numero discipulorum aliquādo principem & summū quasi Magistratum constitutū iri. Et hoc morbo laborabant omnes, neq; erat quisquā, qui in infimis haberi vellet, unusquisq; πρωτεύειν falsò conceptā inhiabat,

43. Hinc factum, ut postquam Christus à monte Thabor clarificatus rediret ad discipulos, & lunatico sanato Capernaum versus tenderet, discipuli, quia Petrus, Jacobus & Johannes cum Christo abfuerant, Διαλογισμὸν inter se de quaestione instituerent, quis eorum major esset, & ita clam Magistro de præminencia contenderent Luc. 9. 46.

44. At Dn. JESVS Capernaum ingressus, & hospitio receptus de discursu, quānam ipsis in itinere fuerit, quaesivit Marc. 9. 33, ac recognita quaestione Matth. 18. 1 respondit: Si quis vult primus esse, is erit omnium postremus, & omnium minister. Id quod uberius, arrepto παιδίῳ, inq; medio statuto, clarè indicavit, & ob oculos posuit.

45. Ecce, quaerunt discipuli, quis ipsorum debeat esse μείζων Matth. 18, Marc. 9. 34, Luc. 9. 46, & jubentur omnes fieri humiles & pueris similes, volunt esse πρώτοι ἢ μεγάλοι, & jubentur fieri πάντων ἑχάτοι, volunt esse domini, & jubentur fieri πάντων δεικνοί Marc. 9. 35, c. 10. 43, πάντων δούλοι c. 10. 44.

46. Eandem quoq; sententiam audire & auferre conati sunt Jacobus & Johannes fratres, qui itidem ambitionis fascino præstricti per parentem proximum sibi ab utroq; Messiae latere locum expeti curarunt: qui pro sessione ad dexteram ipsis obtulit poculum crucis, & pro sessione ad sinistram baptismum sanguinis Matth. 20, Marc. 10.

47. Ve-

47. Verum preoccupati nimium opinione sua Judaicâ de terreno Messiae regno, ne sic quidem melius sapere didicerunt. Jam enim instante acerbissimo Christi passionis agone, contentionem de praelatura integrant, tantâque animi contentione rem inter se gerunt, ut Salvator difficilissimam crucis mortem meditans, & longè alia agens, tamen suam auctoritatem interponere, repetitisq; commonefactionibus antè datis importunam litem dirimere cogeretur.

48. Facta est, inquit Lucas post descriptionem institutionis cenae. *Φιλονομία* inter eos, qui eorum videretur esse major. Dixit autem eis JESUS: *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici vocantur. VOS autem NON SIC &c.* Vos potestatem regiam affectatis, qui tamen volo vos esse meos servos & ministros. Regum est dominari; vestrum ministrare. Regnum enim meum non est de hoc mundo, non geritur mundano modo, non opus est in illo externo visibili Monarcha aliquo.

49. Quod si unquam placuisset Christo *πρῶτον ἢ ἄρχοντά πιναι* in suo regno constituere, discipulos de eo morosè disputantes & disceptantes in ignorantia sui visibilis capitis detinere non debuisset, multò minus omnes ob id reprehendere. Equum sanè fuisset primatem illum indicare, eo praesertim tempore, quo mortalibus his valedicturus, ipsisq; suum regnum concediturus erat.

50. Et quæ verborum mentisq; Christi in hoc introduceretur inconstantia, ut qui quidem Matth 16, Petrum *πρῶτον ἢ ἡγούμενον* talem fore promisisset, eundem verò omni coram omnibus prærogativâ & eminentiâ spoliasset? Et sunt *ἀντιφατικά*: Quidam erit primas & Caput: Nullus erit primas & Caput.

51. Ita tant quidem Adversarii: I. in allegatis textibus non simpliciter repudiari Monarcham, sed eum, qui se non humiliter. Dicere enim Christum; Qui major est: ita ut ipse adhuc agnoscat majorem. II. dominium prohiberi non omne, sed tyrannicum. ex verbis *κατακυριεύειν, κατεξουσιάζεσθαι*, quæ significant dominari, potestatem exercere, non simpliciter, sed cum vi & tyrannide.

52. Resp. autem ad I. majorem esse apud Lucam c. 22. idem esse Christo ac velle majorem esse affectare prioritatem, interpre-

B 2

tibus

Erstaß Papst

a

b

R



tibus sermonis Christi Matthæo c. 20. 20, & Marco c. 10. 43. 2. Si discipuli Petrum Præfectum summum declaratum fuisse scivissent, non amplius quærere institissent.

53. Ad II. concedimus nos *κατακυριεύειν* & *κατεξουσιάζειν* nunquam de immiti & immoderato imperio usurpari; semper negamus; quandoquidem præpositio *κατά* non in omnibus compositis vim adversam importat. Exemplum suppeditant LXX. qui imperium, quod Deus homini creando concessurus erat, descripturi, utuntur hoc verbo *κατακυριεύειν* Gen. 1. 26. Quis autem dicat, senes voluisse, primævum hominem hoc verbo mundi tyrannum designatum fuisse? & Jer. 3. 14. ipsi Jehovæ idem verbum assignatur. Bonam igitur & malam cum hoc verbum significationem habeat, quo sensu h. l. accipiendum sit, quis est, qui non videat?

54. Docet hoc ipsius quæst. scopus & ratio, quæ non erat, an Principi Apostolorum (ex hypothesi) tyrannicum liceret exercere imperium; sed absolutè: quis Apostolorum debeat imperare? Et negatur quæstio in totum, factâ oppositione inter Principes & Apostolos: Et de illis dicitur: Reges gentium dominantur iis; de his vero: Vos autem non sic: ut ex Salvatoris Resp. appareat, de summâ Regia & Monarchica authoritate *Φιλοκενία* fuisse.

5. Ab Apostolorum praxi.

55. In allegatis hæctenus & probatis Prælaturam unius in Ecclesia non tam institui, quam reprehendi vetariq; vidimus. Sequitur, ut lustremus pariter Apostolorum actuale, quod in Ecclesia sui temporis gesserunt, regimen, ex quo similiter nullum Monarchiæ vestigium deprehendi poterit.

56. Ac primùm quidem Act. 1. legimus, statim post ascensionem Christi visibilem in cælos, Apostolos, mentione hujus rei à Petro, tanquam Collegii Apostolici Decano, ut & convocacione precariâ factâ, omnes confluisse, & duos ex numero discipulorū selectos ad sortē Apostolatus, ex quo Judas exciderat, deputasse.

57. Si quis princeps Apostolorum, ubi hic est? cur authoritate Monarchica nō usus alium selegit ac substituit solus? Cur Apostoli statuerunt duos? cur Matthias dicitur *συγκρατήσις* Φιλοθεός, h. e. communi omnium calculo in numerum Apostolorum receptus?

58. Act. 6. electio ac confirmatio septem *Διακόνων* describitur hoc processu & ordine: Omnes duodecim Apostoli coëgerunt
multitu-

multitudinem, electionemq; indixerunt: multitudo septem elegit:
eosdem Apostolorum unanimis consensus confirmavit. Quid hic,
quod Monarchiam redoleat?

59. Act. 15. memoratur controversia, inter Paulum ac Barnabam ex una, & inter Judæos quosdam ex altera parte, suborta, quam Paulus & Barnabas, & quidam alii, statuerunt deferre Hierosolymam ad Apostolos & Presbyteros v. 1, venientes illuc suscepti sunt ab Ecclesia & ab Apostolis atq; Presbyteris v. 4, ad propositam quæstionē decidendam convenerunt Apostoli ac Presbyteri v. 6, de ea suam sententiam fert Petrus v. 7, Jacobus v. 13, & omnes pariter conjunctis votis ac sententiis decidunt, totamq; rem expediunt v. 22, 23, 25, 28. An hęc aliquid Monarchiæ simile?

60. Petrus deniq; (qui aliàs Monarchicorum contentione solus & primus primatum talem obtinuisse dicitur) ipse in sua 1. Ep. c. 5. 2, 3, presbyteros obsecrat, ut pascant gregem Christi, *μη̄ ὡς κληρικοῦντες τῶν κληρῶν*, sed sic, ut sint exemplaria gregis: ac memor præcepti dominici non dominum se, sed Presbyterorum, *συμπρεσβύτερον* v. 1. & 2. Pet. 1. 1, *δ᾽ ἄλλον* vocat.

61. Quo autē modo Apostoli suo tempore rexerunt Ecclesias,
eo quoq; gubernata fuerunt primū post Apostolorum tempora,
nimirum, ut quilibet Episcopus suæ Ecclesiæ, & in ea Presbytero-
rum curam & inspectionem gereret, in eandem suo quoq; modo
jurisdictionem quandam teneret, nullo existente, qui solus totius
Ecclesiæ curam actu sibi soli arrogaret & sumeret. De quo Hie-
ron. in ep. ad Evagrium: Post Apostolorū tempora inquit, omnes
Episcopi erant ejusdem meriti, ejusdem sacerdotii, & communi
Presbyterorum consilio Ecclesiæ regebantur.

*6. à praxi
vet. Eccle-
sia.*

Hieronymus.

62. Currente verò Evangelio posteris temporibus, & numero Ecclesiarum in immensum ferè aucto, boni ordinis causâ subordinatio Ecclesiarum plurium sub unam quampiam particularem facta est, & Episcoporum inæqualitas, consuetudine pariter & auctoritate synodorum & Conciliorum introducta. Unde factum, ut Presbyteri subfuerint Episcopis, Episcopi suffraganei Archiepiscopis, Metropolitanis Primatibus, & Primates vicissim cum omnibus suis Patriarchæ.

63. Unus autem œcumenicus Patriarcha nunquam constitutus
fuit,

B 3,



fuit, sed ut scriptores Ecclesiastici fidem faciunt, Patriarchæ primò fuerunt tres, pòst quatuor, mox quinque, qui ratione ordinis ac *ωγεδρjας* inter se inæquales, ratione autem potestatis proportionem Arithmeticâ fuerunt æquales.

Unde Pape dominus
natus ortum in,
crementum sumferit.

64. Et quia posterioribus temporibus Romanus Pontifex ordine ceteros Sympatriarchas antebat, hinc factum, ut dein labentibus annis in omnes etiam Patriarchas imperium sibi vindicare conatus fuerit. Cui fastui & effreni dominandi libidini satis mature quidem initio ab Ecclesia obviam itum est: verum succrescente patrimonio Petri cum potentia conjuncto, tandem vi & summâ in totam Ecclesiam injuriâ, quod voluit, obtinuit. Quam tamen ob causam præter Orientalem Ecclesiam multos sibi adversantes usq; habuit, & adhuc nostras Ecclesias habet.

65. Et cur non reclamemus? cur non contradicamus? cum exemplo Christi, Apostolorum & totius veteris Ecclesiæ contrarium inveniamus, ut hætenus vidimus: rationes quoq; non desint, quæ contra unius hujusmodi primatum satis militent.

7. a ratio-
nibus in
contrarium
ductis.

Caput visibile in
Ecclesia q̄si hoc e
in Ch̄m injuriam,

66. Si enim, an necessarium sit hujuscemodi caput, quæras, non modò non necessarium, sed & in Christum injurium, inutile, impossibile, & deniq; absurdum esse, invenies.

67. Christus est Rex noster, & Caput nostrum unicum. E. alio Capite non est opus. Ergò injuriam Christo faciunt, qui eum rejiciunt; sicut petitioni Judæorum de Rege pro Samuele constituendo JEHOVA irascens ad Prophetam inquit: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos* 1. Samuel. 8. 7. Injuriâ denique CHRISTUM afficiunt, qui officium ejus Regium dividunt, Papæq; partem tribuunt, itaq; Papam cum Christo caput faciunt.

inutile

68. Si quærimus de utilitate, inutile planè futurum reperimus, Quis enim dabit veracem in omnibus de mendaci? quis est, qui per imbecillitatem & infirmitatem humanam, à qua homini omnis generis errores & lapsus impendent, ab omni se errore alienum atq; immunem prædicet? Spiritum S. autem, DEI gratiam, & fidem peccatis contra conscientiam excuti nonnunquam, etiam à sanctissimis, quis negabit?

69. Nec est, quod Spiritus S. assistentiam promissam tam sæpè crepent

crepent atq; ingement. Sanctis omnibus promissam tenemus, quatenus sancti sunt, nec ~~ωραιστηνών~~ erroribus aut peccatis assentiuntur. Huic autem & huic individuo, semper, etiam manifestissimis sceleribus actu contaminato, esse promissam, negamus, quibuscunq; etiam verborum lenociniis à Pontificiis pariter & Calvinianis pallietur & incrustetur.

70. Si de possibilitate quaeritur, quid magis impossibile censendum est, quam unum hominem totius mundi Ecclesiis non dicam imperio praesse, sed & directorio & salutaribus consiliis prodesse? Dei hoc est, & non hominis. *impossibile.*

71. Moses Spiritu divino instructissimus uni populo Israëlitico regendo & dirigendo non sufficiebat; quam ob causam ex sacerdotum suo consilio LXX. seniores eligebat, eosque sibi in societatem muneris, & ad communia sufferenda onera, cooptabat. Et quis homo est à divinæ sapientiæ dotibus animique facultatibus ita praestans potensque, ut toti per universi orbis ambitum sparsæ Ecclesiæ auxilio consilioq; sufficere possit.

72. Si possibile fuisset unum mortalem omnes ubiq; cœtus Ecclesiasticos in mundo plantare & conservare, tot Apostolorum ministerio Christo opus non fuisset, undecim q. otiosi fuissent; necessitas non efflagitasset, ut Apostoli ministeria divisissent, quemadmodum quidam hinc de Jacobo, Petro atq; Johanne, & illinc de Paulo & Barnaba legimus, quod dexteras societatis invicem dederint, ut hi ad gentes, illi verò ad Judæos prædicatum verbum gratiæ abirent Gal. 2. 9.

73. Demonstrat idem contrarius eventus in iis, qui, dum ab aliis videri volunt, & à suis assentatoribus proclamantur soli Vicarii Christi, totius Universalis Ecclesiæ Rectores; neque se, neque suam, non dico urbem, sed aulam satis regere, & ab ambitione, φιλαργυρία, furtis, homicidiis, libidinibus, multisq; aliis id genus inveteratis sceleribus vel leviter repurgare valent: quâ in re ingenuam Adriani VI. confessionem legere est apud Sleidan. l. 4.

74. Deniq; est absurdum Ecclesiam, quæ est corpus Christi, esse bicipitem, & habere duo capita. Haberet autem, si præter Christum revera agnosceret mortale caput in terris aliud. *Absurdum*

75. Hæc sunt potissimum nostra argumenta & rationes, quibus

bus Monarchicus Ecclesiae status oppugnatur & expugnatur. Ex quibus qui non videt, commentitium esse Pontificis R. Primatum, in Christum injurium atq; blasphemum, imò prorsus Antichristianum, eum in meridie q. cæcutire necesse est. Apparet enim exinde, eum esse illum ἀντικρίστον, de quo Paulus prædixit, quòd in templo DEI sedeat, & seipsum Deum esse ostendet 2. Thess. 2.

76. Vidimus namq; & didicimus Ecclesiae regimen ministeriale nunquam fuisse penes unum summum totius Ecclesiae Præsidem ac Sacerdotem, sed penes Apostolos omnesq; eorum successores.

77. Fundamentum post Christum ponere est fundamentum, aliud ponere præter Christum, contra expressissimū Pauli locum 1. Cor. 3. Et licet intellectum velit Jesuita ministeriale fundamentum, negamus tamen solum Petrum ejusmodi fundamentum fuisse. Et si non pervenitur ad Christum, nisi per Petrum, quomodo per ceteros Apostolos Judæi & Gentes pervenerunt ad eundem? Scilicet adduxerunt prius ad Petrum, qui post ad Christum.

78. Audivimus simul Christum esse illum, qui solus potest Christianos omnes in fide confirmare, & Ecclesiam universam in unitate retinere. Et quærerem ego ex Bellarm. quis tum fratres omnes in fide confirmaverit, quando illi, confessione ipsius Cardinalis, parum probi Pontifices, ut Stephanus VI. Leo V. Christophorus I. Sergius III. Johannes XII, aliiq; non pauci Pontificatum tenuerunt?

79. Qui verò fideles de Spiritu S. assistentiâ non nisi deperdenter ab uno homine participare docet, ille gratiam Spiritus S. alligat ad certum hominem, per quem deveniat ad ceteros homines: quasi gratia & dona Spiritus S. πρῶτος non per verbum veniant, sed per nudum hominem.

80. Verum enim verò quales sunt assertiones, tales etiam probationes, impudentes pariter & impotentes. Et quas non videre est in hac materia tricas atq; apinas, quibus rem & se ita intricant, ut extricari non possint?

81. Nos jam missis rationibus, duo tantum scripturæ loca, quæ semper ceu Medusæ caput obvertunt, proq; primatu Petri stabiliendo adducunt, expendemus; sed breviter.

81. Primum est illud Matth. 16: Tu es Petrus, & super hanc petram ædifi-

I~

edificabo Ecclesiam meam, & porta inferorum non valebunt adversus illam. Et tibi dabo claves regni caelorum &c. Alterum est Joh. 21. Pascere oves meas. Ex his conantur probare, solum Petrum Apostolum à Christo fundamentum Ecclesiae fuisse constitutum, accepisseq; in illo promissionem, in hoc verò reipsa potestatem & jurisdictionem. Sed Petri primatum aliquem, quem sacrificuli somniant, in his Christi verbis quærere, est asini, opinor, lanam quærere.

83. Sed ubi & quibus ex verbis sententiam suam astruunt? Ajunt I. Petrum hic constitui petram, h. e. caput & fundamentum Ecclesiae. II. Eundem primario & immediatè accipere promissionem clavium, h. e. summam præ reliquis Apostolis potestatem.

84. Audiemus autem præcipuas probationes. Dicunt I. pronomen hanc referre ipsum nomen petram ad aliquam petram, de qua antè dominus locutus fuerat, quæ nulla sit alia, quàm Petrus. 2. Hanc expositionem per ἐν τῷ ὀνόματι corroborant idiomate Syriaco, quo Dominus usus fuit in conversatione & prædicatione: in illo verò & petra & Petrus est & dicitur Cepha; itaq; optimè quadrare putant ad Petrum, quando dictum fuit: Tu es Cepha, & super hoc Cepha &c.

85. Resp. Refertur quidem pronomen hanc ad aliquod præcedens, sed non ad Petrum. Illud autem, ad quod refertur, est nomen petra, καὶ τῷ ὀνόματι subintelligendum, latensq; in denominativo Petrus, qui à Petra Christo sic est dictus; hoc sensu: Tu es Petrus, ab hac, quam modò es confessus, Petra denominatus: & super hanc petram (super meipsum, tuamq; in nomine omnium editam confessionem) edificabo, fundabo & firmissimè stabiliam Ecclesiam meam. Exemplum talis ὑπονοίας est Joh. 8. 44. ubi diabolus dicitur ψεῦδης, ἢ ὁ πατὴρ αἰῶνος, scil. mendacii.

86. Sed non posse petram de Petro intelligi patet. I. quia Petrus & petra significatione non conveniunt h. l. sed petra rupem significat, πέτρα autem semper lapidem: quod si igitur Ecclesia dicatur à Christo fundata super Petrum, fundamentum ejus non fortis petra, sed unus solum modò lapis erit. 2. Si unum ac idem essent hæc duo nomina, convenientius unum Matthæus retinisset, misso altero, dixissetq;: οὗ ἐστὶν πέτρα, ἢ ἐπὶ τῆς πέτρῃ τῷ πέτρῳ &c. Spiritus S. autem ad præveniendum omni dubitationi & errori, & masculino & fœminino consultò uti voluit 3. πέτρα h. l.

C

nec



nec petram, nec lapidem dicit, sed est proprium nomen Apostoli, olim à Christo Petra denominati. 4. Impium & insigniter blasphemum est, petram, super quam Ecclesia fundata est, facere Petrum, cum præter Christum fundamentum ALIUD NON possit poni, Christusque solus lapis sit ille probatus, super quem Petrus cum reliquo Apostolorum choro ipse est ædificatus, & Ecclesiam ministerio verbi ædificavit. 5. Solus Christus est petra illa, cui fideles fide verâ superstructi vinci aut expugnari à portis inferiorum in æternum nequeunt.

Cepha

Claves Ecclesie
qd inferant

87. Ἐν τῷ ὀνόματι τῆς ὁμονομίας τοῦ ὀνόματος Κεφα, quod & proprium est & appellativum, quam satis Evangelista evoluit & indicavit, quando mutatis nominibus, quid utrobiq; Cepha significet, manifestè expressit.

88. II. Negamus Petrum solum singulariter & primariò accipere summam potestatem Ecclesiasticam. Claves quidem potestatem importare non renuimus, verùm non ἀποκλειστικῶς, utpotè quæ solius Christi est Apoc. 3. 7, Matth. 28. 28; multò minus licentiam quidvis docendi, nova dogmata condendi, θεόπρωτα abrogandi; leges novas sancienti, sancitas antiquandi; & quidvis contra verbum DEI dispensandi, permittendi; & faciendi, quod contra jus, fas, æquum & pietatem directè tendit & suscipitur: sed inferunt tantùm ministerialem retinendi & remittendi peccata potestatem, quod ex seqq. verborum tenore manifestius evadit, quando usus & officium clavium ita exprimitur: Quicquid alligaveris in terra, erit alligatum in cœlis; & quicquid solveris in terra, erit solutum in cœlis.

89. Quod enim assertur & dicitur, soli Petro has claves datas esse, & claves plus quàm remissionem & retentionem peccatorum significare, id eadem operâ, quâ dicitur & asseritur, negatur & rejicitur. Sicut enim Petrus nomine omnium interrogatorum responsam dedit, ita vicissim nomine omnium hanc clavium potestatem accepit.

90. Et si vel maximè uni Petro hi. l. promissas esse largiremur, easdem tamen non minùs cæteris omnibus promissas, ac traditas fuisse Matth. 18, & Joh. 20. legimus, in verbis istis: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos: Quorumcunq; remiseritis &c. Tantùm de hoc loco.

91. Re

91. Restat alter Joh. 21. Pasce oves meas; cui aliquantò majus ro-
bur ad obtinendum sententiam suam inesse ducunt. In hoc 3. præ-
cipuè postulant: 1. Soli Petro dictum hoc fuisse. 2. Pascere impor-
tare summum imperium. 3. Oves significare totam Ecclesiam.

92. Primum si absq; sophistica accipiatur, admittimus. So-
lus enim h. l. Petrus est, cui dicitur; Pasce oves meas: sed causam,
quam annectunt adversarii, propter quam dicatur soli, negamus;
Fingunt, solum eum hoc alloquio gavisum fuisse, quia singulare
aliquid personam ipsius solam concernens demandandum & de-
ferendum fuisset.

93. Ita ajunt ipsi: nos fallaciam causæ admittere eos dicimus.
Verius ex Patrum aliorumque Orthodoxorum sententiâ Petrus
hoc singulari alloquio & mandato in officium suum Pastorale &
Apostolicum, ex quo per abnegationem & abjuratiõem Domini
exciderat, recipitur, & qui pravariatus fuerat, voce solatii plenâ
confirmatur & erigitur: quorsum spectat trina allocutio, quæ tri-
næ abnegationi respondet, quâ magno cum aliorum scandalo
in Dominum peccaverat.

94. Peccaverant quidem reliqui discipuli, qui metu aufuge-
rant, sed non tantum, quantum Petrus, qui Magistrum prorsus ab-
negaverat & abjuraverat: quâ de causa restitutione in pristinum
munus fuit opus, quo certior functionis suæ redditus, fortius &
alacrius ei obeundæ incumberet.

95. Secundum simpliciter negamus. Ποιμαίνεν enim h. l. stylo
Scripturæ significat officium Doctorum Ecclesiæ, docendi legem
& Evangelium, & Sacramenta administrandi: quæ sunt cœlestia
illa pabula à Christo præscripta, & à ministris Ecclesiæ distribu-
enda, ad exaturandam quamvis famelicam, & misericordiæ pa-
cisq; esurientem animam. Ab hoc officio vocantur Pastores, quo-
rum multi à Christo sunt instituti, non unus.

96. Adhibetur quidē verbum ποιμαίνεν (Heb. 777) nonnun-
quā etiam ad Regum & principū summas dignitates describēdas,
ubi regere significat: sed quis probet eādē hic vi idē sumendū esse?

97. Contrarium satis ex antè dictis probatum fuit: & ex altero
verbo, quo ἀρχιποιμὸν noster in trino affatu usus est, idem planē
elaret, quando præter verbum ποιμαίνεν adhibuit etiam verbum
βόσκεν; & hoc bis, illud modò semel, quis autem dixerit τὸ βόσκεν

Alter locus
Joh. 21.

I.

2.

ποιμαίνεν



regiam & Monarchæ cujusdam conspicuam excellentiam insinuare?

98. Dicimus ergo nos, Petro metaphoricâ hac locutione id ipsum demandatum fuisse, quod reliquis Apostolis alibi, quando μαθητεύσεν, διδάσκειν, κηρύττειν, aliaq; id genus, exequi iussi sunt, quæ Apostolatus propria sunt, nec aliud quid hic Petro committitur, quàm quod omnibus Apostolis à Christo commissum fuit.

99. Quamobrem Paulus Ephesinos Episcopos & Presbyteros monet, ut pascant Ecclesiam Dei, quam acquisivit suo sanguine. Et Petrus non immemor hujus Dominici mandati itidem Presbyteros monet, ut pascant gregem Christi, quantum in ipsis est.

100. Aut ergo prohent Adversarii, reliquos Apostolos & Episcopos non paville; aut concedant, multos Principes & Monarchas in Ecclesia & fuisse & adhuc esse, quandoquidem multi pascunt adhuc, & verbum pascere secundam ipsos summam potestatem exercere dicit.

3.
Oves dicimur
duplici respectu.


101. Ad tertium Resp. oves dici dupliciter: vel ut sunt sub Principe Pastorum & animarum Christo; quo respectu tota Ecclesia est ovile Christi, & omnes Christiani tam docentes, quàm discētes, oves: vel ut pascuntur à magis γρηγοροῖς & Doctoribus Ecclesiæ; in qua consideratione necessario sunt oves à Pastoribus distinctæ, & nondū constituent totā Ecclesiam. Priori modo non solum Jacobus & Johannes &c. sunt oves Christi, sed & Petrus ipse: posteriori neq; Petrus, neq; Paulus, neq; alius quivis Doctor ovium dici potest. Et cum Apostoli non fuerint demum à Petro docendi & mittendi, sed ipsi jam ante Johan 20. tale mandatum acceperint, Matth. 28. repetitum, quod non minus, sed etiam plus potestatis continet, ideo Apostoli reliqui hic sub complexu & denominatione ovium prorsus intelligi nequeunt.


102. Constat itaq; ex brevi hac duorum istorum locorum examinatione, nil quicquam hic de authoritativo, unius alicujus primatu haberi, & consequenter omni illam scripturæ fundamento & solido destitutum esse.

103. Quapropter tandem concludimus: Ecclesiæ regimen non esse Monarchicum.

Δόξα μόνῳ τῷ ἐκείνῳ καὶ ἡγεμονίᾳ
αὐτοῦ Θεοῦ.







XVI.

THESES THEOLOGICÆ,

De *Questione*:

An

ECCLESIÆ

REGIMEN SIT MO.

NARCHICUM:

Quas

Auspice trismegisto Ecclesie Monarchæ

Christo;

PRÆSIDE verò

DN. VVILHELMO LYSERO,

S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ.

in celeberrima VVittebergensi Academia.

Pridie Calend. Maji examinandas
proponit

M. JOHANNES ADAMUS STEINHEUSER

Curiâ Variscus.

WITTEBERGÆ,

Charactere Hæredum Gormanni, 1628.

16.